



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 47. Legati ac præprimis Cardinalis Mantuanus coram Papa ab
Archiepiscopo vindicati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

„periculo decreverunt, cuncta, quæ dog- Sæcul. XVI.
 „ma, morumque emendationem concer- A.C. 1562.
 „nunt, negotia dirimere, adeo, ut nulla
 „verosimilis ratio suadeat, quod Pon-
 „tifex Synodus dissolvere, vel differre
 „vellet.,, Utraque hæc propositio pri-
 mo quidem Pontificem commoverat, ast
 mox resumpto animo Archiepiscopus
 Legatos, ac præcipue Cardinalem Man-
 tuanum vindicare aggressus est.

§. XLVII.

*Legati, ac præprimis Cardinalis
 Mantuanus coram Papa ab Archi-
 episcopo vindicati.*

Itaque Archiepiscopus summo Pontifici Sarpius l.c
 Pio IV. hæc exposuit: „Legati cum
 „prævidere non possent aliquid inde in-
 „commodi nasciturum, eandem, quam
 „animis conceperant, opinionem verbis
 „palam expresserunt: postea vero exortis,
 „citra nullam ipsorum culpam, aut de-
 „fectum, contentionibus inter Patres,
 „ipsorum ad eam opinionem propu-
 „gnandam accessio maximum Beatitu-
 „dini suæ honorem, universæque Curiæ
 „Romanæ decus peperit, nec amplius
 „ut antea sæpius factum, objectari po-
 „tuerat, quod Pontifex, & Curiales e-
 „jus contradicant opinioni, quæ a po-
 „tiori Theologorum parte habetur tan-

G 4

„quam



Sæcul XVI. „quam pia, ac necessaria, jurique Divino
A.C. 1562. „confona: præterea ex eodem successu
 „& Legatis ipsis apud Præfules ma-
 „gnum nomen, & auctoritas parta, &
 „ad moderandum nonnullorum impe-
 „tum via facta est: unde alioquin, cum
 „in signi Ecclesiæ detrimento, magna
 „sine dubio scissura exoritura fuisset.
 His ita expositis Archiepiscopus enarra-
 bat frequentia, & valida Legatorum
 officia ad Præfules placandos, & igno-
 miniam iis inustam ab his, qui profite-
 bantur, quod contra conscientiam tace-
 re non potuerint. Adhæc exposuit pe-
 ricula impendentia, & necessitatem,
 qua Cardinalis Mantuanus ad ea pro-
 mittenda adigebatur, propter quæ Pa-
 pa adversus eum queritur. Denique
 ad suspicionem omnem ex Pontificis a-
 nimō eluendam retulit, majorem par-
 tem Præfulum offerre se, quod eum
 tanquam Ecclesiæ Caput Sessione proxí-
 ma declarare velint: quam quoque lega-
 tionem sibi impositam dixit, eo quod il-
 lam multis de cauſis scripto consignan-
 dam non putarent. Ex hisce Patribus
 tam multos nominibus suis designabat,
 ut Papa in admirationem raptus dixer-
 it, quod improbae linguae, & nequiores
 calami hosce Patres longe aliis colori-
 bus sibi depinxissent.

Postea



Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Postea idem Archiepiscopus coram Pontifice demonstrabat, quod Principum Legati in Concilio promovendo tam firmiter uniti, ac sociati, necnon Præfules ad quidvis pro ejus continuatione perpetiendum ita comparati essent, ut ejus dissolvendi ratio haud amplius subesse videretur: discussio autem quæstionis de residentia maxime jam proiecta esset, Patribus conscientiæ, & honoris stimulo, Oratoribus vero existimatio-
 nis suæ caussa sic ad eam defendendam obstrictis, ut de neganda controversiæ ejus definitione sermo omnino habendus non sit. Postea Archiepiscopus Pontifici ea postulata, quæ Cæsaris Legati proponebant, scriptotenus exhibuit, atque exposuit, quod omnia eo tenderent, ut Papa Concilio jurisdictionis suæ au-
 toritatem submittat: Cardinalis vero Mantuani prudentia, & solertia factum ajebat, ne in congregazione ejusmodi postulata proponerentur. Postremo Archipræsul concludebat: „quandoqui-
 „dem nullo remedio, vel arte, quæ fa-
 „cta sunt, infecta reddi possunt, vestra
 „Beatitudo, si quid forte fortuna occur-
 „rat, non malitiose, sed minus diligen-
 „ter, parumque circumspecte a quovis
 „factum, pro sua sapientia, ac solita be-
 „nignitate dissimulet, veniamque indul-
 „geat, ut deinceps vero omnia ex sen-

G 5

„ ten-

Sæcul. XVI. „tentia animi cedant, pro summo im-
A. C. 1562. „perio præcipiat, desiderantibus omni-
 „bus, ut nihil deinceps aut proponatur,
 „aut tractetur, quod non prius a Beati-
 „tudine sua consultatum sit, ac delibe-
 „ratum.

§. XLVIII.

*Synodi cura per Papæ literas Cardi-
 nali Mantuano speciatim de-
 mandata.*

Postea summus Pontifex hac rerum
 Synodalium relatione diligenter con-
 siderata, Archiepiscopum Lancianen-
 sem quamprimum remisit cum literis
 die vigesima nona Junii hujus anni pro-
 prio chirographo scriptis, atque ad
 e. 5. n. 1. &
 e. 8. n. 1. &₂.
 Cardinalem Mantuanum tanquam Le-
 gatorum caput directis, in quibus ei-
 dem Synodi curam commendat; jam
 enim hunc Cardinalem, ut Tridenti
 persisteret, permovebat, eique abeundi
 veniam denegabat, missa Cardinalis
 Borromæi epistola, quam Arrivabenus
 detulerat. In ea disertis verbis Simo-
 nettæ injunctum, ut erga Mantuanum
 uteretur non modo perquam suavi, &
 mansueta agendi ratione, sed summa e-
 tiam confidentia, cum certus esset Pon-
 tifex, pari ratione a Mantuani comita-
 te illi responsum iri: insuper Simonet-
 tæ injungebatur, ut omni, quocunque
 modo

